





15  
DE  
HECTICORVM DELIRIIS  
MALO OMINE ORIVNDIS

1765/16  
BENIGNITER ANNVENTE SVPREMO NVMINE  
EX AVCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
IN REGIA FRIDERICIANA

P R A E S I D E  
D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPH. NATVR. PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
FACVLT. MEDICAE SENIORE, REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAE-  
SIDE, ET REGIAR. SOCIET. SCIENTIAR. ANGLICAN.  
BEROLINENS. ET MONSPELIENS. SODALI;

PRO GRADV DOCTORIS

SOLLEMNITER CONSEQVENDO

DIE XXII. APRIL. A. R. S. CIO IO CCLXV.

H. L. Q. S.

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

CHRISTIANVS IACOBVS DELAHON,

OLSNA-SILESIVS.

HALAE AD SALAM

STANNO CVRTIANO.

HISTORIAM DE IANIS  
MADO OMNE ORDINE

EX AUSTRIACE GRATIA IMPERIALIS ORDINE  
IN REGIA IMPERIALI

PER A. S. I. D. E.  
D. ADRIANA ELIA BUCHNERO

PHYSICAE ET MATHEMATICAE  
FACULTATIS IMPERIALIS  
UNIVERSITATIS VIENNAE  
PRO GRADU DOCTORIS  
SOLlemniter consensu

PRO GRADU DOCTORIS  
SOLlemniter consensu

IN VIENNA  
M. DC. LXXII

CHRISTIANVS JACOBVS DELAHOE  
VICTOR

HABITANS IN VIENNA  
IN DOMO CIVICIS





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE

HECTICORVM DELIRIIS  
MALO OMINE ORIUNDIS.

---

PROOEMIUM.



*Semiologiae quo maior est praestantia, dignitas et emolumentum, eo magis etiam digna censenda erit, quae a Medico ad id, quod adipisci potest, euebatur perfectionis fastigium.*

a 2

Quan-



*Quantae vero hac in re deprehenduntur difficultates!  
Quantae lacunae in huius scientiae ambitu a quolibet  
attento deteguntur, quas explere non facile con-  
tinget! Quantae disceptationes de his vel illis Semio-  
logiae materiis eruditissimos inter Medicos sunt sub-  
ortae, quas non nisi sedula obseruatione, limato iu-  
dicio et omni praeiudicio rationisque ludentis figmen-  
to abiecto, diluere atque dirimere possumus! Haec  
vero obstacula ne deterreant Medicos! Fortis est,  
grauiora impedimenta tollere, quae pulcro vtilique  
negotio obiciuntur. Excitant nos inuidenda Vete-  
rum atque nonnullorum recentiorum Medicorum mo-  
numenta, quae spem faciunt, fore, ut demum cla-  
riore luce fulgeat haec abstrusa Medicinae pars, cui  
diuini quasi quidquam inesse videtur. Conatus sum*

*in*

18. O 18.

*in praesenti Specimine inaugurali thesin, ex Semiologia desumptam, illustrare, causas, quas adduxi, commotus. Rationes docui, quibus fit, ut hecticorum deliria malo semper omine oriantur. Elegi hanc materiam, cum, utilis quamuis, in optimis etiam Semiologiae Scriptoribus haud raro incassum quaeratur. Ut vero hanc propositionem congrue enodarem: de Febre primo hectica pauca praefatus sum; disserui dein de causis Deliriorum, feбри hecticae sese adiungentium; unde demum asserti veritatem eruerе allaboravi. Haec erit dicendorum summa. Moneo tantum, me de iis tantum hecticorum deliriis sermonem facere, quae nexum cum hectica febre alunt. Reliquorum enim deliriorum, quae abinde*

o

non proueniunt, nihilominus autem sub febris he-  
Eticae praesentia contingere possunt, prognosis aliun-  
de iam nota est. Ceterum B. L. academicam  
hancce scriptiunculam aequo et amico Tuo iudicio  
commendatam habeas.

S. L.



## §. I.

Sanguinem corporis humani viui et sani tam aequabilem mixtionem, quam blanditiem, acrimonia destitutam, ostendere, hasque illius conditiones ab actione maxime viscerum aliarumque partium, sanguificationi inferuentium, pendere, neminem sane fugere potest, qui Physiologiae praeceptis rite est imbutus. Hinc vero colligimus, laesionem viscerum, sanguificationis actu celebrium, non posse non et aequabilem partium, sanguinem constituentium, mixtionem, et sanguinis blanditiem tollere et immutare. Laesio vero viscerum a Medicis vocatur *labes* eorundem. Nullum ergo erit dubium, quin haec cacochymiae, et speciatim acrimoniae sanguinis ansam praebere queat.

## §. II.

Labes viscerum sanguini acrimoniam conciliat (§. I). Sanguis acris irritat loca irritabilia fortius, quam in statu naturali (per Pathol.); hinc et cor, musculus adeo irritabilem, vt omnes fere musculos irritabilitate superet, atque a sanguine immediate sollicitandum (per Physiol.); a fortiore vero cordis irritatione febrium causa enascitur, prouti in Pathologia declaratur; ergo a labe viscerum febris causa ortum sumere potest. Atque haec est *prima causa*, quae febrem propter viscerum labem inducere valet.

## §. III.

A labe viscerum, sanguificationem efficientium, mixtionem sanguinis minus aequabilem reddi §. I. indigitauimus. Mixtio autem sanguinis aequalis acriores particulas, sanissimo etiam sanguini vere inexistentes, temperat; illa itaque cessante, noua acrimoniae causa subnascitur, et febris (per Pathol.). Hinc iam *secunda* cognoscitur *caussa*, qua labe viscerum, sanguificationi inferuentium, febrim producit (§. antec.).

## §. IV.

Quum labe viscerum, sanguificationem determinantium, inaequalem sanguinis mixtionem efficiat (§. I.): hinc lymphæ quoque, tanquam pars sanguinis, corrumpatur necesse est, idque magis adhuc, quando, accedente acrimonia, noua lymphatici laticis procreatur corruptio (per Pathol.). Lymphæ autem ita corruptæ, nutritio quoque languida euadere debet, vnde singularis oritur debilitatis species (per Pathol.). Quamobrem constat inde, a labe, visceribus istis inducta, corpus debilitari. Hinc vero multiplex febris causa originem suam sumit. Nam 1. causæ febris §§. II. et III. adductæ, magis abinde crescunt. Debilitas enim viscerum nouam ipsorum labis sistit speciem (§. I.). 2. Chylus, debilitatis intestinis et ventriculo, corruptus, fortiorum etiam, tanto magis autem debilitatorum viscerum actionem eludit. Hinc vero acrimonia alia, tanquam causa febris (§§. II. et III.). 3. Oriuntur inde stases, stagnationes, obstructions, etc. quæ labem adaugendo, nouam febris suppeditant causam (§§. citt.).

citt.). 4. Debilitas, adaugendo teneritatem solidorum, efficit, vt increfcat irritabilitas, quae cauffa est febris praedisponens, vti ex Pathol. notum est. Dum vero haec increfcit, fit, vt cauffae febris, a labe viscerum producendae, occasionales, haftenus recenfitae, eo facilius febrem excludant. Tot ergo huius febris a sola viscerum et solidorum debilitate oriuntur cauffae. Debilitatem ergo pro *tertia* huius febris *cauffa* iure venditare possumus.

## §. V.

Digestionem sanguificationi maxime inferuire, ex Physiologia cognitum habemus. Illa itaque laesa, haec quoque laedatur neceffe est. Verum ad digestionem concurrunt tam solida, quam fluida. Illa praesente viscerum labe debilitantur; haec, eodem vitio subnato, naturali sua mixtione destituuntur, prouti hoc §. I. colatus cum secretionis theoria euincit. Labes itaque viscerum ciborum digestionem integram esse non sinit. Tunc vero vitia sanguificationis, a labe viscerum iam enata (§. I.), maiora capiunt augmenta (per antec.), hinc etiam huius effectus, nempe febris (§§. II. III. IV.). Quare haec *quarta* erit febris, a labe viscerum praeparantium enatae, *caussa*.

## §. VI.

In visceribus nonnunquam materiam purulentam et vlcerosam sedem suam figere, ex fatis frequenti constat experientia. Vtraque vero materia ad massam sanguinis resumitur potest. Vlcerosam enim, per se iam resoluta, facili negotio ostia vasorum absorbentium, tubulis capillaribus substituendorum, ingreditur; purulenta vero materies, calore fota continuo, restagnans

B

de-

demum colliquefcit, ficque attenuata eadem vias, quas vlceroſa, legit. Qua autem abſorptione peracta, non poterit non fat valida enaſci febris cauſa. Vlceroſa enim materia, ſibi relicta, iam acris, motuque ſanguinis perenni agitata, indeque acrior reddita, adeo manifefto febris cauſam, irritatione cordis vehementi producta, præbet, vt de hoc eius effectu dubitare neſas ſit. Purulenta materia, blanda licet, facta illius ad maſſam ſanguineam regurgitatione, calore, attritu, in materiam reſolutam, ichoroſam et acerrimam tranſit, quæ ſimili ratione, vt vlceroſa, febris euadit cauſa. Quodſi itaque viſcerum labes (§. I.) in collectione materiae purulentæ et vlceroſæ lateat: dubitare tunc non poteris, in reſumtione huius materiae ad maſſam ſanguineam *quintam* febris, a labe viſcerum prouenientis, haerere *cauſam*. Haec vero cauſa eo grauior erit, quo certius eſt, quod cauſas huius febris, §§. II. III. IV. et V. enumeratas, maximopere augeat. Acris enim hæc materies lympham corrumpit vna cum ſanguine, et rodendo grauem debilitatis ſolidorum ſpeciem efficit. Huic vero materiae purulentæ et vlceroſæ quæcunq; alia acris fatiſque reſoluta, in viſceribus ſimili ratione haerens, ſubſtitui poteſt.

## §. VII.

Fieri etiam poteſt, vt in viſcere, labe quadam adfecto, cauſa quaedam recondita ſit, quæ, licet maneat in viſcere, adeo tamen fortiter cor irretet, vt febris cauſa euadat. Pertinet huc inflammatio viſceris. Sub qualibet enim inflammatione cordi reniſus obicitur maior, qui ſtimuli et irritamenti vicem ſubit (per Pathol.). Hinc vero febris procreatur cauſa (§. II.).  
Talis

Talis itaque viscerum status *sextam* febris, a labe viscerum proficiscentis, suppeditat *causam*. Haec causa hactenus adductis saepe accedit. Neque mirandum hoc erit. Etenim sub omni viscerum labe causa adest congestio, quae simul est causa inflammationis (per Pathol.). Inflammatio itaque viscerum labi saepe accedere debet.

## §. VIII.

Generatim igitur hactenus docui, qua ratione fiat, ut a labe viscerum febris inducatur. Haec vero labe vel *mere* erit *acuta*, vel *mere chronica*, vel *ex utraque mixta*. Inflammatio v.g. idiopathica, viscerum labe erit *mere acuta*. Ulcus, aut Vomica, viscera adfigens, labe eorundem *mere chronica* dicenda venit. Labe demum viscerum ex ulcere et inflammatione, ab ulcere enata, composita, labe erit ex *mere acuta* et *mere chronica mixta*. Quum iam effectus ex sua causa dimetiendus sit: febris, a labe viscerum producta, modo *acuta* erit, modo *chronica*, modo *composita ex acuta* et *chronica*. Exempla, quae modo recensui, veritatem huius rei confirmare possunt.

## §. IX.

Si labe viscerum *chronicam* febrem continuam, aut *compositam ex acuta* et *chronica* continua, induxerit, et hoc quidem ita, ut acutae causa haereat in *chronica* labe: tunc, pro gradus huius febris differentia, modo *lentescens*, modo *lenta*, modo *bellica* adesse dicitur. Mitissimus huius febris gradus vocatur *febris lentescens*; maior *lenta*; maximus demum *bellica*. Ne vero de harum propositionum veritate dubites: iuuabit paulo exactius easdem considerare.

## §. X.

Dixi, hæc febres (§. antec.) I. *ex labe viscerum ori-  
ri*. Verum hoc esse, patet ex *Illustr. PRÆSIDIS Fundam. Patolog. specialis, Sect. II. Cap. XXIII. §. I.* Ibi enim or-  
tus februm lentarum et hæcticarum deducitur a visce-  
rum infarctu aut obstructione, vel vlcerosa prorsus eo-  
rundem labe. Neque omitti hæc potuerunt in defi-  
niendis hæc febribus. Nonnunquam enim a partu  
oriuntur febrilia symptomata, sæpe diuturna, quamvis  
sola digestio, sine viscerum labe, a statu sanitatis aber-  
ret. Nemo hunc statum ad febrem lentam et hæcticam  
actutum refert, quorsum tamen reuocari deberet, nisi  
eundem adiecta hæc vocabula excluderent. II. *Conti-  
nuarum numero adnumerandas esse*. Elucescit et hoc ex *Il-  
lustr. PRÆSIDIS Fundam. Patol. spec. l. c.* vocantur enim  
ibi *febres continuæ*. Aestus, aliquot post partum horis  
sese exacerbans quotidie, idem manifesto docet. Eo  
ipso vero febres istæ distinguuntur ab istis intermitten-  
tibus, quæ a labe viscerum originem suam sumunt,  
y. g. quartana. III. *Vel mere esse chronicas, vel ex acuta et  
chronica continua quidem compositas, ita tamen, ut illa, ad chro-  
nicam tantum accedens, a chronica labe viscerum (§. VIII.)  
oriatur*. Vid. *Illustr. PRÆSES. l. m. c.* Febres istæ, quas  
dixi §. antec. februm acutarum termino longe diutius  
durant. Hinc per se sunt chronicæ. Quum interea  
haud raro inflammatio iisdem accedat (§. VII.), adeo-  
que causâ febris acutæ (per Pathol.), morbus vero  
nihilominus a Medicis vocetur febris lenta et hætica,  
cum acuta in eo casu tantum sit labis chronicæ sympto-  
ma: patet, tunc etiam hæc febres adesse dici, quando  
descripta ratione febris chronica et acuta simul exi-  
stunt.

stunt. IV. *Lentscentem, lentam et hecticam gradu tantum differre.* Intelligere hoc poteris ex vulgari vñ loquendi, inter Medicos recepto, et ex *Illustr. PRAESIDIS Fundam. Pathol. l. c. §. II. fqq.* quibus me effecisse credo, vt notiones, §. anteced. adductae, eo manifestius cognoscantur.

## §. XI.

Effectus causae suae semper est proportionatus, et causa suo effectui. Febris vero hectica grauissimus erit febrium lentarum gradus (§. IX.), oriturque, vt omnes lentae, a labe visceribus inducta (§§. IX. X.). Quare febris hectica supponit, vt grauissima adsit viscerum labe. Quum autem scirrhi, abscessus, vomicae et vlcera vera, sint enormes viscerum laesiones (per *Pathol.*): dubium non est, quin ab istis febris demum hectica enascatur. Conf. *Illustr. PRAESIDIS Fundam. Pathol. special. l. c. §. II.* Stases, stagnationes, infarctus aliaque vitia levia, lentam excludere debent febrim.

## §. XII.

Conditiones febris hecticae, quas §§. IX. X. XI. descripsi, symptomatum, quibus stipata incedit febris hectica, rationem in se continent. Cum vero superfluum hic foret, haec symptomata aut recensere, aut explicare, idque eo magis, quo exactius in Pathologia explicari debent: missa haec omnia facio, ea nunc febris hecticae phaenomena considerans, quae statum periculofum adesse innuunt. Verum et hac in re de iis tantum sermonem faciam, quae dein ad deliria hecticorum a nobis adplicari possunt.

B 3

§. XIII.

## §. XIII.

Status febris hecticæ periculosus erit I. quando eiusmodi signa comparent, e quibus ad summam corporis debilitatem concludere possumus. Febrem hecticam debilitare, ex iis colligi potest, quæ §. IV. a nobis adducta sunt. Quo maior nunc hæc est debilitas: eo maior illius sit causa necesse est. Ex summa igitur corporis hecticæ debilitate ad summum febris gradum colligere possumus, hinc ad febris statum valde periculosum. Atque ita vere etiam iudicant Medici. Damnant enim diarrhoeas et sudores colliquatiuos, et vrinas, quibus lymphæ admixta copiosa inhaeret, atque id nullo alio ex fundamento, nisi quod inde ad summam corporis hecticæ debilitatem iusta valeat consequentia.

## §. XIV.

II. Quando febris ipsa ad eminentem ascendit gradum. Febrem enim hecticam, generatim etiam consideratam, periculosam sistere febrem, inter vulgus iam notum est. Cum gradu ergo illius periculum increfcit. Accedit, magnitudinem febris, congestione ad viscus, labæ iam adfectum, producta, hanc continuo augere, atque præsentem materiam vlcerosam et purulentam (§. VI.) ad summum acrimoniae gradum euehere (§. cit.). Nouum hinc periculum oriri, vel tironi patere potest. Dein ab impetu febrili facilis etiam est ortus febris acutæ, de cuius periculo in hecticis continuo dicam.

## §. XV.

III. Quando status acutus accedit. Cum enim sub morbis acutis vires corporis humani intendantur; intensam



tensam autem virium actionem debilitas excipiat insignis, in febre denique hectica enormis iam adsit corporis debilitas: haec inde a statu acuto ad summum euehitur gradum. Hinc vero periculum febris hecticae graue exoritur (§. XIII.). Praeterea status acutus, motu sanguinis accelerato reddito, labem visceri iam inflictam adauget (§. XIV.), febrem exacerbat (§. m. cit.), grauesque versus vasa encephali producit congestiones (per Pathol.), quae omnia non poterunt non insigne morbi periculum indigitare. De congestionibus sanguinis versus caput fusius hoc adfertum euincere dein alaborabo.

## §. XVI.

IV. Quando *massa sanguinea insignem contraxit acrimoniam*. Fieri hoc posse sub febre hectica, ex iis intelligi potest, quae §. VI. adnotata habentur. Quando autem vere accidit, tunc labes viscerum intenditur, viscera vitalia ab ea corripuntur, vt vis demum vitalis fatiscat, et lipothymiae, sopores, etc. lethales efficiantur. Haec omnia ex natura sanguinis valde acris et ad putredinem maxime procliuus in Pathologia demonstrantur. Nonne itaque febris hecticae in casu proposito etiam accedere possunt (§. VI.)? Quam vero periculosa illa sint symptomata, ex eorundem leui quoque consideratione innotescit.

## §. XVII.

V. Quando *grauiores sanguinis versus caput congestiones determinantur*. Nobilia enim corporis humani viscera quo plus adficiuntur: eo grauius est, quod inde nascitur, vitae periculum. Cerebrum vero nobile est  
corpo-

corporis humani viscus. Dubium itaque non est, quin a grauioribus versus illud sanguinis congectionibus, sub febre hæctica subortis, periculum haud leue proficiscatur. Praeterea haud raro a debilitate insigni, impetu febrili enormi, statu acuto, hæcticae adiuncto, et acrimonia sanguinis eminenti, originem suam sumunt. Tunc ergo eo manifestius periculum, abinde metuedum, patet (§. XIII. sequ.).

§. XVIII.

Plura hic de periculosis febris hæcticae phaenomenis addere non opus esse duco. Sufficit ea adduxisse, quae ostendere possunt, hæcticorum deliria malo omine oriri. Propius nunc, hisce praemissis, ad huius rei demonstrationem accedo. Pauca primo de deliriis generatim praefabor; ostendam dein, fieri posse, vt hæcticae febris deliria adiungantur; horum demum periculum, quod innuunt, euincere conabor.

§. XIX.

Status hominis vigilantis, sub quo iudicandi facultas adeo est perturbata, vt vel sensationes, ab internis causis excitatas, ad res externas referat, vel actiones, a sensu communi aberrantes, committat, vel vtrumque fiat, generali vocabulo *delirium* nuncupatur. Sub somno haud raro iudicandi facultas ita perturbatur, vt hinc sensationes et actiones descripta ratione laedantur; nullum tamen delirium tunc adesse dicitur. Delirium itaque statum hominis vigilantis sibi vindicat. Sed requirit etiam iudicandi facultatem alienatam et perturbatam. Alias delirium tam cum stupiditate, quam cum eo hominis statu confunderemus, sub quo, ob laesa

Organa

organa sensoria externa et sensationes internas pro externis habet, et male de rebus, in organa sensoria externa agentibus, iudicat. Verum status hominis vigilantis, sub quo iudicandi facultas est perturbata, nondum ad delirii notionem sufficit. Quam frequenter enim fit, ut a graui Apoplexia eiusmodi relinquatur status? Negabis tamen, aegrum delirio esse correptum. Quando autem ita iste mutatus est, ut sensationes, a causis internis productae, ad res referantur externas, v. g. hostes, gladii stricti, aliaque terribilia fingantur, aut actiones, a sensu communi valde abludentes, suscipiantur, v. g. sub erotomania et furore vterino, aut vtrumque fiat: tunc delirium praesens esse a quolibet dicetur. Ex his ergo omnibus veritas definitionis elucescit. Species deliriorum hinc facile constitui possunt. Ista vero, utpote ad tractationem nostram non pertinentes, omitto.

## §. XX.

Iudicandi facultas, qua Medicus eandem considerat, ab ordinato medullaris cerebri et cerebelli substantiae, fluidique in ea contenti, motu pendet. Quod qua fiat ratione, ignoro cum aliis. Sufficit, ex observationibus elucescere, dictis iudicandi facultatem in-niti, tamque diu esse illibatam, quam diu motus nominatarum partium ordine procedit. Id ergo, quod hos motus perturbat inordinatosque reddit, perturbatae iudicandi facultatis continebit rationem. Quum vero ab inordinata iudicandi facultate deliria quoque nascantur (§. ant.): dubium non est, quin ab inordinato partium, in cerebro et cerebello contentarum, motu deli-

C

delirium proficiscatur. Hinc horum reliquæ causæ erui possunt.

§. XXI.

Refero huc (§. antec.) I. *graviore*s sanguinis versus *vasa encephali congestiones*. Tunc enim turgida vasa sanguifera, neruorum originibus interiecta, compressionem grauiorem leuioremue exferent (per Pathol.). Motus itaque fluidi, in fibris medullaribus contenti, turbatur. Præterea istæ congestiones frequenter cum impetu sanguinis, per vasa transeuntis, intenso sunt connectæ. Arteriis itaque tunc fortius pulsantibus, non poterit non noua huius inordinati motus in cerebro et cerebello causâ oriri. Nullum igitur est dubium, quin grauiore sanguinis versus vasa encephali congestiones deliriorum causis adnumerari debeant (§. antec.). Atque quid quaeso obseruationes frequentius comprobant?

§. XXII.

II. *Debilitatem cerebri*. Ad loca enim debilia sanguinis fieri congestiones, ex Pathologia cognitum habemus. Nunc congestiones sanguinis versus vasa encephali causæ sunt deliriorum possibiles (§. ant.). Quare iisdem hisce causis debilitas cerebri accenseri debet. Addi et hæc possunt. Experientia docet, neruorum sensibilitatem cum eorundem debilitate frequentissime increfcere. Docet id sanguineorum, infantum et sexus sequioris sensibilitas maior. Quare etiam a cerebri debilitate illius sensibilitas poterit maiora capere augmenta. Quo maior autem huius organi est sensibilitas, eo facilius in motus abnormes abripitur, prouti id ex natura nimiae sensibilitatis elucescit. Motus ve-

ro istius organi inordinati deliriorum sunt caussae (§. XX.). Quare hac quoque ratione debilitas cerebri deliriorum ortui fauere potest, idque sane eo magis, quo facilius tunc congestiones, simul praesentes (per anteced.), suum effectum exferere possunt (§. anteced.). Veritatem asserti haecenus euicti comprobant exempla hominum sensibilium, ad deliria maxime procliuum.

## §. XXIII.

III. *Rigiditatem cerebri.* Cerebrum rerum impressiones quasi suscipere, dubitari vix potest. Suadet id, vt alia impraesentiarum testimonia silentio premam, memoria, quae a vitiis huius organi deletur. Quodsi itaque has rerum impressiones adsumamus: rigiditas cerebri efficiet, vt non quidem facile a rebus, sensibus perceptis, oriantur, at ortae eo tenacius retineantur. Nonne hoc assertum melancholici egregie stabiliunt? Melancholicus non facile commouetur; actiones animae languidius in perscrutandis rebus operantur. Quam tenax vero est melancholicorum commotio, memoria, animi adfectus, etc.? Quando autem, vt haecenus euictum dedimus, in rigido cerebro tenaciores oriuntur impressiones, hae longe diutius cerebrum commouentes, inordinatum illius motum ingenerant. Rigiditas itaque cerebri deliriorum ortui inferuit (§. XX.). Nonne id cognoscitur ex melancholicis subiectis, prae aliis ad deliria dispositis? Vid. GAVBII *Instit. Patbol.* §§. 529. 737. n. 3.

## §. XXIV.

IV. *Irritationem cerebri naturali maiorem.* Cerebrum et cerebellum, quod attinet ad medullarem substantiam,

tiam, maxima gaudere sensibilitate, ex experimentis confitit. Quando itaque ei causa applicatur irritans, fieri aliter non potest, quin hinc sensatio oriatur. Haec vero causae irritanti semper est proportionata. Irritatio itaque cerebri maior grauiorem naturali efficiet sensationem. Sub omni autem sensatione oriuntur motus, sensationi iterum proportionati (per Physiol.). A grauiore itaque sensatione, ob cerebrum validius irritatum subnata, motus illius naturali maior et inordinatus, hinc causa deliriorum (§. XX.), nasci debet. Accedit congestio (§. XXI.), quae a grauiore irritatione producitur. Veritatem huius asserti docere possunt febres malignae, inflammationes cerebri, vulnera capitis, cranii fracturae, aliaque huiusmodi similia mala, quae irritando agunt.

## §. XXV.

V. *Situm et nexum fibrarum medullarium alienatum.* Ista enim conditiones, naturali partium structurae conformes, motum ordinatum determinant. Alienatae igitur motum reddunt inordinatum et causam deliriorum possibilem sistunt (§. XX.). Conf. GAUBII *Instit. Patbol.* §. 737. n. 5.

## §. XXVI.

Causae deliriorum, haecenus recensitae, omnes reliquas sub se comprehendunt, neque opus ideo est, ut plurium mentionem iniiciamus. Sequitur iam, ut easdem ad febrem hecticam referamus (§. XVIII.), et ostendamus, hanc februm speciem deliriorum causam suppeditare. Patebit exinde in subsequentibus, deliria hecticorum malo semper omine oriri. Hinc eo exactius haec res a nobis pertractari et euolui debet.

## §. XXVII.

## §. XXVII.

*Deliria febrī hecticae, ob congestiones sanguinis versus vasa encephali, se se adiungere possunt.* Etenim 1. hectica febris omnium februm naturam communem habet (§. IX.). Omnis autem febris, hinc et hectica, sanguinis congestiones versus vasa encephali determinat. 2. Febris hectica debilitat, atque id insigni in gradu. Hinc debilitatur etiam cerebrum. Vnde congestionis causa enascitur (per Pathol.). 3. Febris hectica sanguinis acrimoniam inducere valet (§§. VI. XVI.). Generat itaque causam irritantem et congestionis (per Pathol.). 4. Status acutus ad eandem accedere potest (§. X.). Tunc vero noua causa congestionis exsurgit, viribus vitalibus nimium quantum in agendo excedentibus. Cum igitur a tot tamque potentibus causis sub febre hectica congestiones exoriri queant: ab iisdem deliriorum quoque causam enasci, dubium non est (§. XXI.).

## §. XXVIII.

*Præsente febre hectica ea etiam deliria produci possunt, quae a cerebri pendunt debilitate.* Nam 1. oriuntur sub eadem grauiore congestionum causae (§. antec.). Congestiones autem loca debilitant, ad quae diriguntur (per Pathol.). 2. Febris hectica nutritionem partium tollit (§§. IV. IX.), hinc cerebri quoque. Vnde non poterit non cerebri debilitatem inducere. 3. Febris hectica corruptam lympham efficit (§§. IV. V. IX.). Hinc autem corrumpitur etiam fluidum nerueum, suae quod copiam, suae quod mixtionem attinet, vnde non poterit non et neruorum et cerebri debilitas enasci. Confirmat eandem singularis illa sensibilitas, quam in hecti-

cis subiectis obseruamus. Vid. illustr. b. m. IVNERI  
*Consp. Therap. spec. Tab. LXX. III. 12.* Quapropter ob ce-  
 rebri quoque debilitatem deliria cum febre hectica con-  
 iungi poterunt (§. XXII.).

## §. XXIX.

Denique deliria ideo quoque febrī hecticae accedere  
 possunt, quod caussa cerebrum valde irritans sub eadem procreari  
 potest. Monuimus iam §§. VI. et XVI. sub febre hectica  
 ingentem sanguinis acrimoniam enasci posse, idque per  
 experientiam saepe est confirmatum, quae docuit, ad-  
 eo fuisse acrem materiam, vel effluentem, vel in cor-  
 pore restagnantem, vt instrumenta aroderet. Quae  
 cum ita sint, atque abinde cerebro hacce materia illata,  
 caussa irritans exurgat: hecticorum deliria ab ista eti-  
 iam irritatione proficisci possunt (§. XXV.).

## §. XXX.

Quum omnes deliriorum caussae remotae ad eas  
 reduci possint, quae §§. XXI. XXII. XXIII. XXIV.  
 XXV. sunt adductae (§. XXVI.); a febre etiam hectica  
 rigiditas effici non possit (solut enim potius solidorum  
 cohaesionem, quam intendit, vid. GAVBIUS l. c. §§.  
 161. n. 1. 2. 262.); neque a febre ista nexus et situs fibra-  
 rum medullarium cerebri et cerebelli adeo immutari et  
 transformari queat, vt delirii originem hinc congrue de-  
 ducere posses: sequitur, vt, si a febre hectica oriantur  
 deliria, haec ab vna vel altera caussarum, §§. XXVII.  
 XXVIII. XXIX. enumeratarum, vel pluribus harum  
 coniunctis, ortum suum trahant. Hinc nunc horum  
 deliriorum periculum malamque prognosin, ob eorundem  
 ortum formandam, sine difficultate eruere possu-  
 mus.

## §. XXXI.



§. XXXI.

Quando febris hectica cum deliriis stipata incedit: haec vel ab accumulatione sanguinis in vasis encephali (§. XXVII.), vel a debilitate cerebri (§. XXVIII.), vel demum ab acrimonia fluidorum (§. XXIX.), pendent (§. XXX.). Si ab accumulatione sanguinis determinantur: aderit insignis sub febre hectica sanguinis versus caput congestio (§§. XXI. XXVII.). Haec vero sub febre lenta semper est periculosa (§. XVII.). Eiusmodi igitur deliria malo semper omnia nascuntur. Accedit dictis, eiusmodi congestionem vel ab impetu febrili nimis magno et inueterato, vel a statu acuto simul concurrente, produci (§. XXVII.). Quum iam vtrumque iterum statum hecticae febris periculosum indiget (§§. XIV. XV.); hinc eo magis horum deliriorum periculum innotescere potest. De hoc ergo deliriorum, hecticae adiunctorum, specie propositio valet, cuius veritatem euinco.

§. XXXII.

Quod ea deliria attinet, quae sub febre hectica a cerebri proficiuntur debilitate (§§. XXVIII. XXXI.): haec, dum debilitatem corporis, a febre hectica inductam, ad cerebrum vsque partemque ad vitam maxime vtilem propagatam esse ostendunt, periculum morbi innuunt (§. XIII.). Praeterea haec cerebri debilitas eiusmodi febris hecticae conditionibus debetur, quae, sibi etiam relictae, periculo non carent (§§. XVII. XXVIII.). Non poteris ergo dubitare, quin haec etiam deliriorum, sub febre hectica comparentium, species malo oriatur omne.

§. XXXIII.

Quodsi demum ab acrimonia fluidorum enascuntur hecticorum deliria (§. XXIX.), tunc pessima febris hecticae

cae conditio eadem determinat (§§. VI. XVI.), quae simul et congestionem et debilitatem cerebro infert, irritando et rodendo in omnes partes, quas tangit, agens. Dum itaque haec causa tam fonticam febris hecticae conditionem inuoluat: deliria certe, abinde producta, malo semper omine sub febre hectica nascuntur.

## §. XXXIV.

Deliria hecticorum, siue a congestione sanguinis versus caput, siue a debilitate cerebri, siue demum ab acrimonia fluidorum pendeant, malo semper omine oriuntur (§§. XXXI. XXXII. XXXIII.). Omne autem hecticorum delirium ab vna vel altera harum causarum pendeat necesse est (§. XXX.). Vera consequenter erit propositio vniuersalis, quod *omne hecticorum delirium periculo non careat, sed malo potius omine oriatur.*

## §. XXXV.

Ex hac propositione, nunc eucta, patet: I. *Hecticorum deliria quidem malo semper omine oriri, non semper tamen ex eorundem ortu ad citissimum vitae interitum concludi debere.* Valet equidem haec consequentia in casu in §§. XXVIII. XXIX. expofito, neutiquam vero generatim in casu §. XXVII. II. *Gradus itaque dari huius periculi.* Grauiissimus est in casu §. XXIX. mitior in casu §. XXVII. III. *Patet etiam methodus medendi, hisce deliriis destinanda.* Roborantia, analeptica, temperantia, deriuantia et antiputredinosa secura, iisdem opponi debent. Vtinaem autem minus frequenter artis opem eluderent!

T A N T V M.

ULB Halle  
002 612 240


3



58







15

DE  
**HECTICORVM DELIRIIS  
MALO OMINE ORIVNDIS**

1765716

BENIGNITER ANNVENTE SVPREMO NVMINE  
EX AVCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
IN REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE  
**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMI PRUSSIAE REGIS A CONSILIIIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPH. NATVR. PROFESS. PVBL. ORDINARIO,  
FACVLT. MEDICAE SENIORE, REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAE-  
SIDE, ET REGIAR. SOCIET. SCIENTIAR. ANGLICAN.  
BEROLINENS. ET MONSPELIENS. SODALI,

**PRO GRADV DOCTORIS**

SOLLEMNITER CONSEQVENDO

DIE XXII. APRIL. A. R. S. cIo Io CCLXV.

H. L. Q. S.

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

**CHRISTIANVS IACOBVS DELAHON,**

OLSNA-SILESIVS.

HALAE AD SALAM

STANNO CVRTIANO.